

## Ov. met. 6,103-128 (Arachne)

Jupiter und Leda (109)  
Jupiter und Antiope (110f.)  
Jupiter und Danaë (113)  
Neptun und Theophane (117)  
Apoll und Isse (124)  
Bacchus und Erigone (125)

*Maeonis elusam designat imagine tauri  
Europam: verum taurum, freta vera putares;  
ipsa videbatur terras spectare relictas* 105  
*et comites clamare suas tactumque vereri  
adsilientis aquae timidasque reducere plantas.  
fecit et Asterien aquila luctante teneri,  
fecit olorinis Ledam recubare sub alis;*  
*addidit, ut satyri celatus imagine pulchram* 110  
*Iuppiter inplerit gemino Nycteida fetu,  
Amphitryon fuerit, cum te, Tirynthia, cepit,  
aureus ut Danaen, Asopida luserit ignis,  
Mnemosynen pastor, varius Deoida serpens.*  
*te quoque mutatum torvo, Neptune, iuvenco* 115  
*virgine in Aeolia posuit; tu visus Enipeus  
gignis Aloidas, aries Bisaltida fallis,  
et te flava comas frugum mitissima mater  
sensit equum, sensit volucrem crinita colubris*  
*mater equi volucris, sensit delphina Melantho:* 120  
*omnibus his faciemque suam faciemque locorum  
reddidit. est illic agrestis imagine Phoebus,  
utque modo accipitris pennas, modo terga leonis  
gesserit, ut pastor Macareida luserit Issen,  
Liber ut Erigonen falsa deceperit uva,* 125  
*ut Saturnus equo geminum Chirona crearit.  
ultima pars telae, tenui circumdata limbo,  
nexilibus flores hederis habet intertextos.*